

scilicet c B quomodo fecisti de A B numerū argumenti à c uersus B cōputando, & à B uersus c puncta numerum eorum inscribendo moræ communi. Et completum est.

¶ Ecclipsim Lunæ, & quantitatem & durationem similiter inuenire.

I Ecclipsis Lunæ est possibilis, quære mediam oppositionem Solis & Lunę, ex qua scias tempus uerissimæ oppositionis. Et ad idem tempus scias uerum locum Lunæ, & nadir Solis, & argumentū uerum Lunæ, & argumentum uerum latitudinis Lunæ, & cum gradu uero motus Solis quære ueram oppositionem diebus æquatis, hæc serua pro media Ecclipsi. Exempli causa, inquiram ecclipsim Lunæ anni 1551 currentis, die 20 Februarij, ad hoc itaq; tempus reperio mediam oppositionem hora prima, minutis 41 ferè, à meridie eiusdem diei, & argumentum Solis 8 signorum, 7 graduum, 53 minutorum, argumentum quoq; Lunæ 5 signorum, 8 graduum, 53 minutorum, cum quibus reperio iuxta doctrinam Canonis de inuestigatione ueræ ☿ & ♀, distantiam inter mediam & ueram ♀, 6 horarū, 59 minutorū addendam. Hac igitur ad mediam ♀ adiecta, inuenio tempus ueræ oppositionis hora 8, minutis 40 à meridie diei 20 Februarij. Ad tempus autem ueræ oppositionis inuenio uerum Lunæ, qui etiam est nadir, hoc est, punctum oppositum Solis, 5 signorum, 11 graduum, 52 minutorum, & argumentum uerum latitudinis Lunæ 11 signorum, 25 graduum, 51 minutorum.

¶ Latitudinem Lunæ per datum argumentum latitudinis Lunæ cognoscere.

PONE filum centri super argumentum uerum latitudinis Lunæ, inuentū tempore ueræ oppositionis diebus non æquatis, & cadet idem filum super latitudinem Lunæ in circulo latitudinis Lunæ ueræ. Et si argumentum latitudinis Lunæ est minus 6 signis, tunc latitudo est septentrionalis. Si uero argumentum Lunæ est plus 6 signis, tunc latitudo est meridionalis, & illud quære in figura Ecclipsis Solis. Vt in dato exemplo, pono filum centri in figura ecclipsis Solis, super uerum latitudinis Lunæ argumentum, tempore ueræ ♀, id in circulo latitudinis Lunæ, ostendit latitudinem Lunę ueram 22 duorū ferè minutorū meridionalem, cum latitudinis Lunæ argumentum maius sit 6 signis.

¶ Minuta, casus, & dimidium moræ seorsim cognoscere.

PONE filum centri super argumentū uerum Lunæ, & transfer Almuri super æquatorem distantia Lunæ à terra, & secundum super æquatorem moræ & casus. Deinde pone idem filum cum Almuri primo super latitudinem Lunæ in

f iij tropico